DISSERTATIO PHILOSOPHICO-MEDICA

De

HOMINE MICROCOSMO.

I.

HOminem, miraculum magnum, animal adorandum & venerandum Deum mortalem vocat *Mercurius Trismegistus*: rerum omnium mensuram *Pythagoras*: θαῦμα θαυμάτων *Plato*. Et sanè, si consideres, quàm abundè in *hominem* profuderit omnia munificus ille rerum parens atque Opifex Deus, sapientissimè eùm *Universi exemplar*, tandemque Μικρόκοσμον à Veteribus appellari facilè largieris. In homine enim magni istius mundi formam effigiemque tanquam in speculo aut parvà tabellà adumbratam intueri licet. Inspicias paululum *humani corporis*, quo nullum præstantius, nullum admirabilius à Deo conditum est, αὐτόματον ex indefinitis & partibus & motibus compositum, & clarissimè videbis in illo multa evenire, magnam cum iis, quæ in mundo hoc aspectabili quotidiè contingunt, analogiam habentia; ut & hinc Illustris *Verulamius* aureo suo *de augm: scient: lib: non inveniri inter corpora aliquod tam multipliciter compositum, quàm humanum* affirmare non dubitaverit. Addas corpo-

 ri hu-

ri humano *animam rationalem*, motus
riè pro nutu ſuæ voluntatis determinante.
poſitum illud, quod *Hominem* vocamus, conſtituen-
dum, jure meritoque hoc elaboratum Dei opus mun-
di hujus magni epitomen dixeris: *Hominem* inquam,
qui omnia in ſe complectitur, quæ Univerſum am-
pliſſimo ſuo ſinu coërcet, adeò ut plus in homine,
quod mireris habeas, quàm in cœlo aut terrà, & ve-
rè *Sophocles* exclamaverit: *Nihil æquè ſtupendum ac
hominem Naturæ Parens produxit unquam.*

II.

Quandoquidem autem itâ naturâ homines compa-
rati ſumus, ut cùm ſolita & familiaria nobis perpen-
denda veniunt, magnitudinem eorum atque admi-
rationem conſuetudo imminuat, hinc illud γνῶθι σεαυ-
τὸν à paucis rectè tractari videas. Sed Phydiæ Mi-
nervam, Apellis Venerem, Polycleti normam mira-
tur Antiquitas, tu horum omnium archetypum &
exemplar non ſuſpicies? Cùm itaque in ſui ipſius
contemplatione omnes inveniant, quo de gaudere,
quo de gratulari ſibi poſſint, hanc inſtituere natura-
lium rerum admiratorem non modò rationi conſen-
taneum eſt, verum etiam ad Optimi Creatoris po-
tentiam ac ſapientiam prædicandam utile. Arduam
ſanè & difficillimam, ſed pulcerrimam ſimul & di-
gniſſimam, quam fateor, non poſſe pro dignitate
ſuâ à me pertractari. Satis erit, *admirandam Ma-
crocoſmi & Microcoſmi convenientiam & analogiam*
impræſentiarum pro ingenii tenuitate ſtrictim in
paucis quibuſdam explicuiſſe, & extremas aliquot
perficiendæ picturæ lineas duxiſſe; exquiſitam illius
elabora-

em & effigurationem *Illis*, qui ingenio & me innumeris parasangis superant, relinquendo.

III.

Ut autem conceptus nostros *ordine* & *distinctè*, quo nihil est, quod eos magis illustret, iisque præter gratiam certitudinem conciliet, proferamus, initio animadvertendum esse puto: hominem æquè ac totam rerum universitatem ex duobus illis summis rerum generibus (intellectualium nempe & corporearum) constare. Habet enim *mentem* rem cogitantem seu intellectu & voluntate præditam, quà Deum refert, quam ideo multi ex Philosophis cœlestis naturæ ac Divinitatis particulam vocarunt. Habet *corpus*, non simplex & uniforme, sed quod sic à Naturâ fabricatum est, ut propriâ suâ vi variis modis moveri possit. Et corpore quidem suo rerum corporearum, se autem toto omnium rerum universitatem repræsentat. Quæ omnia, ut plenius intelligamus, *tum* proportionem pulcherrimam, quam *corpus humanum* obtinet ad systema relatum universi corporei, *tum* totius Universitatis ideam ex animâ & corpore compositum *hominem* contemplabimur.

IV.

Corpus hominis ex iisdem principiis cum mundo corporeo, cujus portio est, constat; enimverò materiam extensam, inquè eâ quantitatem, figuram, situm, motum & quietem utrobique videmus. Eædem leges naturæ in corpore humano, quæ in Universo observantur. Stabilia & fluida, dura & mollia hic facilè concedes si modò sanguinem, carnem

& ossa in ipso dari scias. Aspera a
tidem hic inveniuntur. Rarefactio & c
in eo etiam locum sibi vendicant. Quis denique undiquaque illud porosum esse negabit? Quæ omnia & quàm plurima alia corpori humano cum mundo corporeo communia esse notiùs est, quàm ut probari debeat.

V.

Sed prius quam ab hisce etiam in vulgus notis ad specialiorem corporis humani disquisitionem transeamus, pro certo statuendum est, quemadmodum mundum hunc aspectabilem non in momento, quod instans dici consuevit, verum temporis progressu non modò ex *lumine Naturæ* à Deo nobis manifestato, sed etiam ex *lumine Scripturæ* à Deo nobis revelato, factum esse scimus, ità & corpus humanum non in momento, sed tempore perfici. Veluti enim non tota simul ædificatur domus, sed primum fundamenta, mox parietes, tandem tectum; ità & in corpore humano pars una prius conformatur quàm alia, ea scilicet quæ embryoni magis est necessaria, uti quoque idem sentit *Galenus* cap. 3. lib. de Format: fœtus. Et *Aristoteles de gen: aial.* lib. 2. cap. 1. *Sed enim non simul omnia effici, vel sensu percipi potest, cum partes aliæ jam inesse, aliæ nondum adesse cernantur. Nec dici potest, eas præ suâ exiguitate latere. Pulmo enim, qui amplioris quàm cor magnitudinis est, posterior corde in primo ortu conspicitur* &c. ubi clarissimè non omnes partes simul, sed *ordine* aliam post aliam fieri agnovit. Verum ut ad rem redeamus.

Mundum

VI.

Mundum hunc visibilem, talem, qualis existit, per *motum localem*, quo partes materiæ hinc inde commovebantur, factum esse ex Philosophiæ principiis satis constat. Ad eundem etiam modum ectypon illius, corpus nempe humanum, non nisi *per intestinum secundum minima corpuscula* seminis utriusque parentis *motum* oriri existimamus. Quod idem *Aristotelem* asserere putamus, dum fœtum ex semine *per motum* constitui censet lib: 2. de gen: animal. cap. 4. Et quandò in mundo corporeo ex vario isto partium motu, magna in iis orta est *varietas*, elegans itidem *dispositio*; sic etiam ex utriusque seminis intestino hoc motu produci putamus Corpus automaticum, quod *variis* admodum partibus, iisque omnibus *ritè collocatis* constat. Quamobrem uti *Macrocosmi* decus & elegantiam in generum ac specierum plenitudine, rerumque varietate sapientissimus Creator voluit consistere, ita *Microcosmum* infinita multitudine & varietate partium atque motuum exornavit.

VII.

Quod ut penitius cognoscamus, jam descendere, & ad particulariora accedere debemus, rem ipsam attentiùs & diligentiùs inspecturi, ut sic (verbis utor Ill. Verulamii lib. de augm. scient.) magis vera & utilis fiat comprehensio. Simul etiam moniti illius Aristotelici memores (*optimè illum veritatem rei perspicere, qui à principio res orientes ac nascentes inspexerit*; lib. 1. de Republ. cap. 2.) ab ovo rem ordiemur. Et ut à manifestissimis capiatur exor-

dium; Sicuti per motum varium partium materiæ in mundi hujus corporei primâ efformatione, prius quàm Sol aut ullum sydus esset, orta est subtilis & mobilis admodum materia, ita etiam in generatione corporis humani, aliquàm satis subtilem materiam fieri & moveri, spirituque vitali imbui (Harveus de gen: animal: pag: mihi 256.) antequam ullum organi aut visceris alicujus vestigium exstet, λόγῳ καὶ πάθει jubent ut putemus. Et cum in subtili illa hujus Universi materiâ varii & magnitudinis & motùs gradus dantur (neque enim omnia eadem fuisse subtilitate & pari celeritate agitata existimandum est) ità etiam in hac subtili corporis nostri materiâ varios & subtilitatis & celeritatis gradus dari quis negabit?

VIII.

Porrò, quemadmodum in hujus mundi constructione abrasa ista, & celerrimè agitata materia (à Nobilissimo *Cartesio primum elementum* dicta) ab omnibus circumquaque cœli partibus ad centrum confluxit; sic etiam subtiliorem istam & spirituosam *genituræ* vel potius *seminis* (: illud nomen quidem vult *Velthusius* quo utriusque seminis mixturam indigitat de gen: p. 65. hoc *Aristoteles*:) partem ex circumjacentibus locis undelibet affluentem in massæ seminalis centro congregari existimamus. Et uti illa corpus fluidissimum, quod celerrimè semper in statu motus sui perseverando, circâ axem rotat, constituit; sic hæc motu suo bullulam aliquam salientem seu punctulum fermentescens, quod non lento & insensibili, sed rapido statim & oculis conspicuo motu agitatur, efficit.

Et

IX.

Et cùm ex corpore illo fluidissimo (§. 8.) in centro mundi seu (accuratè dicendo) vorticis nostri existente materia subtilissima illud in polis ingressa per Eclypticam (hoc est loca à polis remotissima) rursus elabitur, & forsan omnis abiret, nisi continuò tantundem circiter à polis rediret; quin etiam hæ viæ circumpolares tollerentur nisi similis illi per Eclypticam ejectæ ad has motu circulari regrederetur: ita quoque liquor ille seminalis in puncto saliente non manet fixus, sed ex eodem egreditur in arterias (quas viis Eclypticæ vicinis comparamus,) & omnis egrederetur, sicquè punctum istud saliens pabulo destitutum extingueretur, nisi continuò similis quantitas per venas (quæ viis circumpolaribus optimè respondent) rediret; quæ etiam obliterarentur nisi, ἐν κύκλῳ fluendo per arterias rursus venis se insinuaret, undè iterum ad cor redit; adeò ut hinc concludere liceat, & materiæ hujus universi subtilis, & liquoris illius spirituosi (quem in perfectione suâ *sanguinem* posteâ appellamus) motum nihil aliud esse, quàm perpetuam circulationem; & sanguinem nostrum, quoniam singulas *Microcosmi* regiones, etiam maximè absconditas, saltem parte suâ subtilissimâ, perambulat, ad instar materiæ istius subtilis, quæ itidem omnia *Megacosmi* corpora intimè pervadit, sese habere.

X.

Jam, si per materiam illam subtilissimam in centro mundi, seu potiùs vorticis nostri, gyrantem *Solem* intelligamus, & cõsideremus quod punctũ istud palpitans

tans, etiam in centro corporis quasi consistens, *cor* posteà constituat, admirandam utriusque analogiam & convenientiam intueri licet. Sicuti enim Sol omnis motus in terrestribus corporibus causa est, & calore suo omnia vivificat: (in his enim terrestribus nulla per se activitas, nullus motus est, sed omnis à materiâ cœlesti à Sole veniente, dependet) Sic Sol ille *Microcosmi* omnis vitæ fundamentum, & omnis motus causa est, undè, secundum *Herveum* de gen: anim: pag: mihi 187, posteà reliquarum partium ortus, fabrica & ordo promanant.

XI.

Neque incongrua videri debet *Solis* cum *corde* comparatio ex eo, quòd cum *Solem flammam esse* sensus & ratio doceant, de corde verò hoc non ita manifestum sit. Satis enim hac in parte nobis satisfaciemus, si consideremus, cordi nostro, quamdiu vivimus, continuum per fermentationem productum calorem eadem ratione inesse, qui species est ignis, quem sanguis venarum nutrit, uti in Sole, materiam subtilem continuò versus illum à partibus circumpolaribus fluentem pabulum existere. §. 9. vidimus. Quinetiam majorem cordis cum Sole convenientiam videbimus, si cogitemus, ignem hunc vitalem in corde accensum originis esse cælestis. Quod ipsum videtur indigitasse *Aristoteles*, cum l: 2. de gen: anim: cap. 3. dictum ignem esse corpus ἀνάλογον τῷ τῶν ἄστρων στοιχείῳ asserit. Et quandò cœlestis illa materia per omnia diffusa est, & universalis caloris & vitæ causa, adeóque quasi anima mundi (si cum *Platone* mundum hunc *animal magnum* dicere velimus:) ad eundem

dem etiam modum hic ignis non lucidus per totum corporis habitum cum ſanguine eſt diſtributus, & ab ipſo omnis vegetatio dependet, vigor omnis & robur emanat; partibus enim ſolidis noſtri corporis quasdam agendi vires per ſe ineſſe, equidem non dixerim. Si porrò conſideremus, quà ratione ſecundùm *Ariſtotelem* cap. 5. de juvent. & ſenect. *ignis fluminis inſtar perpetuò gignitur & fluit, quamvis id præ celeritate nos lateat*; videbimus, eâdem ratione ignem in corde noſtro accenſum continuò ſic naſci & recens produci toto vitæ tempore, uti ſemel in vitæ principio natus & productus fuit: adeò ſubtilis nempe & diſſipabilis eſt, ut ſingulis pulſibus in corde recens inſtaurari & renovari debeat. Non immeritò igitur hactenus cor Soli aſſimilavimus, cum ψυχὴ τȣ̃ θερμȣ̃ καὶ τῆς ζωῆς exiſtat, & in ipſo Veſtalis quaſi conſervetur ignis, à quo tanquam à ſole radii in omnes partes fluunt, adeò ut ob hanc cordis cum ſole affinitatem *Solem cor mundi*, & *Cor ſolem hominis* appellare Antiqui non dubitaverint.

XII.

Et ut plures cordis & ſolis analogias videamus, ex §. 7. in memoriam revocandum, quòd, uti in materiâ cœleſti, ità in ſanguinis noſtri maſsâ varii ſubtilitatis & celeritatis gradus inveniantur. Quemadmodum igitur in ſubtiliſſimâ iſtâ ſyderum materiâ innumera ramenta reliquis minus diviſa, & minus celeriter agitata dari ex Phyſicis notum; eodem modo ab initio vitæ in ſanguine noſtro quamplurima ramenta minùs ſubtilia, minusque motus capacia, extitiſſe (imò & ſemper exſtare variorum excretorum

corpore noſtro ſecretio ſatis luculenter teſtatur) ut putemus, recta ratio dictat. Illam autem ſyderum materiam minùs ſubtilem, ſubtiliſſimæ materiæ cùm annumeremus, quoties nullum peculiarem ejus effectum animadvertimus: ità etiam & ſalſum & inſipidum, & amarum & acidum, & plura alia, quæ docente *Hippocrate* in ſanguine noſtro continentur, quamdiu inter ſe bene ſunt commixta, non diſtinguimus, ſed communi nomine *ſanguinis* inſignimus.

XIII.

Quandò autem in corporeà Univerſitate craſſiores & tardiores iſtæ cœleſtis materiæ particulæ per viam circumpolares ad Solem accedentes in ſimiles cum ejus particulis motus conſentire non poſſunt, proinde que à minutiſſimis ſeparantur, & ſibi mutuò facilè adhærentes, Soli ex quo emerſerunt, adjungun tur, & ſic moles primò quidem molles & raras, & poſtea denſas & ſtipatas, permagnas ſimul, quæ *maculæ Solis* vulgò appellantur, componunt: eâdem ratione exiſtimandum erit, particulas minus ſubtiles noſtri ſanguinis per venas ad cor pervenientes, eaque que ibidem effervescentis materiæ agitationem refugientes verſus latera exſpui, ac propter figurarum ſuarum inæqualitates facilè conglomerari, ſubſtantiam initio quidem ſatis mollem & raram (uti plerique que corpora ex partibus concreta initio ſuæ generationis molliora & rariora eſſe ſolent) ſed quæ progreſſu tẽporis ſatis denſatur & induratur, conſtituere.

XIV.

Si jam per ſubſtantiam hanc cordi conjunctam ejus *parenchyma* intelligamus, facilè hujus cum maculis

Sol

Solis vel aliorum ſyderum analogiam cognoſcemus. Quemadmodum enim macula circumquâque ſydus tegens non poteſt eſſe tam denſa, quin poros permultos habeat, per quos ſubtiliſſima materia tranſit, quippe hæc continuò iis divagans, non permiſit, ut planè clauderentur: ità etiam parenchyma cordi adnatũ, poris innumeris, & quibuſdã ſatis amplis, (quia ſanguinis & materiæ ſubtilis continuus tranſitus non permiſit, ut obſtruerẽtur,) præditũ eſſe cognoſcemus. Per quos poros ſub formâ vaporis tranſiens materia, quomodo in pericardio liquorem aliquem conſtituere poſſit (tanquam in athmoſphærâ) videtur ſatis Philoſophanti patere. Sicuti etiam in ſydere maculis circumvallato particulæ materiæ cœleſtis per hos meatus ſydus ingreſſæ, per eosdem regredi neutiquam poſſunt, quoniam ramulorum extremitates in iis latitantes nonnihil aſſurgerent, ſicque ipſarum regreſſum impedirent: eodem modo ſanguis cordis parenchyma per venas ingreſſus in easdem remigrare non poteſt, quia itidem cordis aliarumque venarum ſatis notabiles & quamplurimæ valvulæ obſtantes meatum obſtruerent.

XV.

Si etiam ex vaſtiſſimo cœlorum ſpatio in hanc quam incolimus terram, deſcendere, & ſtupendam perennantis aquæ in *Geocoſmo* & ſanguinis in *Anthropocoſmo* analogiam intueri vellemus, non poterimus in ſummam admirationem non rapi. Fertur Oceani aqua per occultos meatuum anfractus, uſque dum ex terræ penetralibus erumpens in flumina ſe promit Oceanum mox repetitura. Fertur ſanguis ex corde

per arteriarum ramoſos canales ad extremas corporis partes, quousque in venarum oſcula receptus magno impetu ad fontem ſuum redeat. Sed vidi *Oceanum Macromicrocoſmicum Ph. Jac: Sachſij* ſuperiori anno in lucem emiſſum, in quo variæ cordis cum Oceano analogiæ tractantur, quare plures noſtra non producet pagina. Si enim omnia, quæ poſſent, his conferre vellemus, in magnam nimis molem hæc diſſertatio, quam volumus brevem, excreſceret. Pro instituti brevitate igitur hæc de corporis humani & mundi aſpectabilis analogiâ dixiſſe ſufficiat. Nunc verò reliquorum viſcerum (quæ quemadmodum circa ſolem planetæ, circa cor conſiſtunt) & aliarum corporis noſtri partium, cum partibus mundi hujus aſpectabilis analogia eadem ratione inveniri poſſit, id aliis penſitandum relinquimus.

XVI.

Nunc cætera exſequi pergamus, totius Univerſitatis cum homine analogias inveſtigaturi. Conſideremus igitur, qua ratione regulus Microcoſmi animus noſter, magnum Macrocoſmi Regem, Deum Ter Optimum Maximum quodammodo referat. Quemadmodum itaque Deus non in omnibus mundi partibus præſentiam & gloriam ſuam æquè manifeſtat, ſed cœlum, peculiarē ejus thronum eſſe non Chriſtiana ſolùm fides, ſed omnium ferè gentium conſtans opinio, ut credamus, jubet. Similem in modum mens noſtra, non, ut vulgò fertur, eſt tota in corpore toto, & in qualibet ejus parte tota, ſed in cerebro, ſupremo corporis noſtri viſcere, peculiarem ſuam ſedem, in quo peculiari modo ſuas operationes

nes exercet, obtinet. Sicut igitur Magnus Ille magni mundi Rex junctus est toti Macrocosmo non per extensionem, ut quidam putant, sed per continuam rerum conservationem, adeò ut & homines & totus mundus in Deo vivant, moveantur & sint: sic etiam animus noster Dei filius in corporis nostri automato Rex quasi est, non quidem id sustentando, sed pro nutu suo id gubernando & dirigendo.

XVII.

Et uti Deus immotus omnia movet, ita etiam mens nostra immota corpus movere potest. Ex quò mira quædam analogia elucet, quòd uti ad nutum Dei quælibet Macrocosmi pars, ita ad nutum mentis nostræ pars aliqua hujus Microcosmi moveatur, eo ipso enim, quo vult aliquid, efficit, ut pars illa cerebri, cui arctissimè juncta est, se moveat modo convenienti, ad producendum effectum, qui huic voluntati respondet. Uti denique inter voluntatem Divinam & motus corporeos nulla analogia, nulla similitudo est; ita etiam nulla inter voluntatem mentis nostræ & motus membrorum corporis nostri convenientia requiritur.

XVIII.

Quemadmodum etiam Deus circà omnia simul versatur, ita ut per unicam semperque eandem simplicissimam actionem omnia simul intelligit, velit & operetur: sic mens nostra circa multa & varia simul, quamvis per operationes quodammodo distinctas, versari potest. Quod certè (cùm *multum* vicinius *omni* sit, quàm *unum* vel *paucum*) Divinæ potentiæ vestigium esse quis non videat? Uti etiam Deo di-

cente *esto*, existit illicò quodcunque existere debet, adeò ut nullum inter voluntatem Divinam & ejus exsecutionem tempus intercurrat: ita etiam inter animi & corporis actus ullam interponi moram, non percipimus: At sicuti quidem Dei nutus voluntatis tempus non agnoscit, sed tamen ejus jussum in tempore corpora peragunt, sic quamvis nutus voluntatis animi nostri sit in instanti quasi mathem:, tamen effectum illius voluntatis corpus in tempore peragit. Ex quo, cum in animo nostro Divinæ activitatis idea clarissimè pateat, rem hoc in loco consideratu dignissimam esse censemus. Et certè amplissimus dicendi campus hìc nobis esset patefactus, nisi portum prospicientes appellere, ve-laque contrahere vellemus.

XIX.

Parumper tamen priùs in aperto æquore expatiandum esse putantes, elegantissimum hominis & regni alicujus *Politici* analogiam omittere haudquaquam possumus, præsertim cùm ad hanc, quam jam tractamus materiam, haud parum facere videatur. Nimirum: Anima nostra *Regis* instar in cerebro *metropoli* residet; *thronum* habet glandulam pinealem; *consiliarios intimos* perceptiones internorum & externorum sensuum; *Scribis* utitur Phantasiâ & Memoriâ; *Satellites* ejus sunt spiritus animales; *mimi* autem & *histriones* sunt illusiones nostrorum somniorum, & phantasiæ, quæ nobis vigilantibus accidunt, cùm cogitatio nostra negligenter vagatur, nulli rei sese addicens. Ex *œconomicis* Patris & Matris cum animà & corpore elegantem satis comparationem etiam

iam hic afferre possemus. Verumenimverò cùm physicè solummodò, non ut Philosophi morales vel Oratores hac de re disquirunt nostram de Microcosmi & Macrocosmi analogia mentem explicare conati simus, simplicitatis & simul brevitatis adhibitæ ratio cuivis hinc facilè patebit. Plura tamen super hac re, sed ab hisce nostris longè diversa, si quis desiderat, adeat *And. Laurentium* in operuu Anatomicorum præfatione. *J. S. Elsholtium* in Anthropometria sua *Nicol. Nancelium. Franc. Tidicæum. Fortunium Licetum* libro proprio: *de mundi & hominis analogia.*

XX.

Denique, cum innumera ingenia ad rerum similitudines quàm ipsissimas earum causas percipiendas experientia teste capaciora sint; nec non similium rerum inter se comparatio ad occulta detegenda plurimum semper conferat, an scitè satis & Philosophicè præsentem disquisitionem susceperim, aliorum esto judicium. Sat ero lucratus, si nobilissimas disciplinas *Philosophiam* & *Medicinam* ob amabilem conjunctionem & mutuam familiaritatem minimè distingendas esse, & illud *Illust. Verulamij* dictum *lib. de augm. scient.* pag. mihi 251. *quo Medicinam in Philosophia non fundatam rem infirmam asseverat* ratum fecerim. Faxit Deus, omnis luminis & cognitionis dator, ut inposterum Philosophiam cum arte Medica feliciter sociando, majorem & corporis humani, & causarum illud afficientium, & instrumentorum illud alterantium notitiam indies acquiramus. Quo voto finio & præsenti disputationi umbilicum

bilicum addo. Illi *Macrocosmi* & *Microcosmi* Conditori sapientissimo sit laus, honor & gloria in infinita secula.

ANNEXA EX QUAVIS
Philosophiæ parte.

Ex Logicis.

1. *NOn plura, quam duo* summa rerum genera; *unum* intellectualium, *aliud* materialium *agnoscimus.*

2. *Intellectus & voluntas cum non sint accidentia, sed ad substantiam animæ pertineant, ad Categoriam* qualitatis *non sunt referenda; ut nec longitudo & latitudo ad Categoriam* quantitatis.

3. *Generalis & princeps* ordinis *regula est*, ut à facilioribus incipiamus, atque inde paulatim & quasi per gradus quosdam, ad cognitu difficiliora progrediamur.

4. *Prima & generalissima* judicandi *regula est, ut in veritatis investigatione occupati*, nihil affirmemus aut negemus, nisi re clarè & distinctè percepta.

Ex Metaphysicis.

1. *MEns nostra non modò priùs & certiùs, verùm etiam evidentiùs, quam corpus cognoscitur.*

2. *Deum existere ex ipsius ideæ consideratione quàm accuratissimè demonstrari potest.*

3. *Existentiâ Dei cognitâ necessariò illud omne nobis verum & certum esse debet, quod valdè* clarè distincteque *percipimus.*

4. *Omnis* impossibilitas *in sola nostra mente ideas sibi mutuò adversantes malè conjungente consistit; nec in ulla re extra intellectum posita esse potest.*

5. Summa & maxima *hominis potentia est, quam habet in proprias cogitationes;* minima & infima *quam in alios homines, qui jux a nobiscum libero utuntur arbitrio.*

6. Sensus, appetitus, affectus *ante veræ Physicæ cognitionem seriò philosophaturo debent esse* tanquam meræ Scepticorum apparentiæ.

Ex